DISSERTATIO MEDICA

DE TYMPANITIDE;

Quam in scholâ Medicinæ Parisinâ sustinuit

B. J. A. LE CONTE-DE-TRÉCOEUR,

E condinione vico in Normanniâ natus;

Doctor Medicus,

Societatis Instruct. Medic. Parisiens. Emeritus, necnon Anatomicæ Societatis Socius.

Rerum eventa magis arbitror quàm causas.
CICERO.

PARISIIS,

E TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Scholæ Medicæ Parisinæ.

1808.

DOCTOR PRÆSES,

D. PERCY.

DOCTORES DISPUTATURI,

DD. BOURDIER.

LEROUX.

PETIT-RADEL.

SUE.

LEROY.

Decimo nono frimarii mensis die, anno 7, Scholæ medicæ Professores, opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se approbari nec improbari statuerunt.

PATRI DILECTISSIMO

CAROLO LE CONTE-DE-S^TE.-SUZANNE,

In Thorriniense Juridictione olim Judici,

Necnon

DOMINO RICHERAND,

In Scholâ Medicinæ Parisinâ Professori, ac Ludovici Sancti nosocomii Chirurgo, etc., etc.

Has Theses vovet ac dicat

B. J. A. LE CONTE-DE-TRECOEUR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE TYMPANITIDE.

Causarum proximarum tympanitidis obscuritas, singularioribus multiplicatioribusque explicationibus, originem præbuit : hæ tamen quanquam omnes, nominibus celeberrimis suffulsæ sint theoriæ, ac multis plus minusve probabilibus enixæ argumentis, nihil quod placeat veritatis amanti et medico præjudicationibus experto, habent. Reverà si omnes hypotheses à celeberrimis medicinæ principibus, multis cum laboribus conditas, perpendemus, nihil nisi inter ipsos contradictiones reperiamus, et mens, ut antea, in incertitudine fluctuat.

Galenus, ni fallor, primæ hypothesis de tympanitidis formatione conditor fuit; medicinæ nam primus parens, nil de causâ proximâ dixit, sed solummodò facta observavit, ut prognostica deindè deduceret : Nonne, ut in aliis multis circumstantiis, in ista, sese sapientem probavit? Statuit ergò Galenus succos quosdam pituitosos frigidosque flatuositatibus ausam præbere, ut dixit in libro *De Syptomatum Causis*. (Est autem et horum generatio in ipsis quæ in ventre sunt; locis, succis quibusdam pituitosis vel cibis inibi adeficiente calore in halitum solutis.) Quid de tali opinione censendum est? Nonne omninò ei repugnat experientia et quomodò concipi posse refrigerationem succorum quorumdam flatus producere? Contra contendunt Avicènes Averroes et Scheukius ventriculi calorem et ariditatem ausam tympa-

nitidi dare. Galenum noster sequitur Fernellius. Fienus qui, ex professo, primus de hoc morbo tractavit, à calore moderato, hunc nascere vult. Asserit illustris Sennertus morbos flatuosos ciborum aerisque mixtione, eorumdem viscositate et vaporisatione ortum ducere. Ethmuller multique alii non minimi punderis viri, ciborum potuumque cum succis quibusdam in tubo intestinali fermentationi flatus attribuerunt. Alii nihil aliud viderunt nisi liquidi nervosi aberrationem insuetamque distributionem, spasmus undè pro quibusdam, et athonia pro aliis. Omnes hasce opiniones collegit Combalusier, autor recentior, et eas conciliare tentavit, dicendo has omnes causas posse aut simul, aut alternâ vice tympanitidem ac alios flatuosos morbos producere, præcipuè spasmi et athoniæ; sed in locis diversis coexistentiam admittit, quod mihi non planè certum aut facile conceptu videtur. Ex his omnibus concludere licebit usque ad hunc diem nihil certi aut probabilis, de flatuosorum morborum formatione et causâ proximâ, dictum fuisse, et ni fallor, sola cum hydrope analogia maxima, causam tympanitidis dilucidare licebit. Hanc analogiam probare et exinde theoriam dare meâ multoties fuit in mente desiderium; sed circumstantiis ursus assequi non potui laborem, et aliundè multò meliùs facta videre tantummodò credidi, omnique remotâ hypothesi ipsa referre. Attamen si dicere sententiam me cogeretur aliquis, exhalationis et absorbtionis merum vitium, hunc morbum esse in quo formati sunt flatus, asserere non dubitarem.

Inter medicos, jam à longo tempore si magnum de tympanitidis causâ fuit discrimen, non minima existat de naturâ ejus primariâ aut secundariâ et de sede opinionum varietas.

1°. Multi enim inter veteres atque recentiores tympanitidem alieni morbi, hydropis, obstructionis V. G. aut alicujuscunque morbi sequelam esse voluerunt; sed contra à causis sibi peculiaribus ortum ducere affirmârunt alteri. Non sæpè morbos à flatulentiâ ortos a causâ ipsis peculiariâ procreatos esse nobis fatendum est; nam quasi semper à morbo alio productæ sunt; sed de istis est ut de multis aliis qui pluribus in casibus symptomatici sunt; quandoque tamen

essentiales, quod me brevi spero observationibus monstraturum. In hoc opinionum dissidio, duo extrema pariter sunt vitanda, mediumque, procul dubio, tenebit prudens;

2°. Quo ad sedem tympanitidis sat magnæ inter autores ortæ sunt quærelæ, Littrius enim, cum quibus aliis non pariter incelebribus, peritonealis tympanitidis formaliter existentiam negavit, solummodòque intestinalem admittit; sed studiosissimi ac sapientissimi observationibus, hujusce opinionis falsitatem, indigitârunt observatores. In morborum flatuosorum tractatu sat multas, quæ Littrii opinionem destruunt, observationes retulit Combalusier; nobis quoque tales infra referendæ.

His præmissis, mihi, quam assequi libuit ordinem, nunc exponendum est.

1°. Quod per tympanitidem intelligo, dicam :

2°. Quænam est flatuum materia et compositio exponam;

3°. Quasdam tympanitidis observationes quibuscum aliis non minimè singularibus exemplis flatuosorum morborum, referam;

4°. De sede disseram;

5°. Historiam morbi generalem faciam, ipsaque relativè ad diuturnitatem aut brevitam in chronicas et auctas dividam, atque therapeiam indicabo;

6°. Denique brevi differentias relativè ad sedem monstrabo, et quasnam mutationes in therapeia affere valent, scribam.

I.

Morbum in quo multum tumet abdomen aere plenum et ut tympanum sonum reddit, tympanitidem vocârunt antiqui. Hæc optima est definitio, si tantummodò *aera* verbo substituamus ista, *fluidi aeriformia;* nam

I I.

Jam à longo tempore non aerem verum in tympaniticorum abdomine solum inclusum fuisse cognoverunt medici, ut hisce verbis

ab Eph. Natur. Cur. collectis constat : *in ipsis* (tympaniticis) *produci gaz silvestre soleat.* Flatuosorum morborum naturam chimia hodierna dilucidare poterit. Jàmjàm recenter in chimicâ officinâ professoris Thènard, analysim, in tympanitico demortuo, fluidi aeriformis inventi, fecit dominus Magendie, et abazoti parvâ quantitate, acido carbonico vapore in maximâ proportione; hydrogene sulfurato pauco, hydrogene carbonato in maximâ proportione, et minimâ atmospheræ aeris efformatum esse, invenit. Undè concludere fas est, aerem non solum esse fluidum in tympaniticis inclusum.

TYMPANITIDIS OBSERVATIONES.

I I I.

Observ. 1ª. Anno 1655, mense Martio, cujusdam è vicina Cujavia, conjux, cum filio unius anno nato, à colicis doloribus et flatibus aliquot per dies, misere afflicto, Thorinium venit consiliumque à Georg. Mochengero petiit : sed puellus ille, paucarum horarum spatio elapso, mortuus est. Tunc præfatus Mochingerus piè defunctum.... me sectioni cum illo interessemus, rogavit. Mirum sane dictu ! quantum ventriculus distentus erat in quo nihil præter flatus et aliquid viscidi humoris conspiciebatur. Intestina autem omnia tam pellucida transparebant, ut etiam multis in locis cumpuncta statim considerant, ne guttulâ quidem humoris in alicujus apparente, reliquis visceribus benè se habentibus. (*Ephemer. Natur. Cur.*, tom. II.)

Observ. 2ª. Anno 1807, in Aprilii mense, indigestione laboravit vidua, quinquaginta et quatuor circiter annis nata, optimam sanitatem gerens in aliis vitæ temporibus. Tunc colicis doloribus sat intensibus et obstipatione maximâ vexata fuit illa mulier : tormina, abdominis et tumefactio, præcipua fuerunt symptomata in primâ

morbi hebdomade. 8°. die ab exordio morbi, renitens ac tensum erat abdomen, et ut tympanum percussione sonum reddebat; borborigmi frequentiores fierunt, orta est maxima anxietas cum pulsu parvo et frequente, calore maximâ, siti inextinguibili et ciborum inappetentiâ. Die 20°. multum alvo deposuit, simulque flatuum maximam dimisit quantitatem, quod paulisper lombarum ac intestinorum minuit dolores. Sed paucis diebus elapsis, intensiora redierunt symptomata. Die 30°. nova aeris et stercorarum expulsio, unde misera paucis diebus meliorem fatum sperandum habuit, et quasi sanam sese credidit, cùm 37°. die sese omninò suppresserunt dejectiones, in immensam molem sese attollit abdomen; alvi fœces per os rejectæ fuerunt; mala fit respiratio, pessima deindè; calor urens atque sitis intensissima erat; ad summum pervenit anxietas, et post 48 dies non obstantibus carminativis potionibus, atque enematibus et purgantibus, omnis naturæ; miserè, misera extinxit, ex pluribus jam diebus omnis motûs incapax.

Autopsia. Omne emaciatum corpus et multùm tumefactum erat abdomen. Ipso aperto abdomine, nihil vidit doctor Chambret qui mihi hanc observationem communicavit; sed solummodò multùm fluidis aeriformis stercoribusque distensa erant intestina. In quibusdam locis quibus involvit intestina peritoneus lividus erat.

Observ. 3ª. Sartor erat quadraginta annis natus, uniusque mollis texturæ, vis in ventris flatus per inferioris gutturis rimam prorupturo; sed ob honoratiorum hominum præsentiam ex intempestivâ verecundiâ, cohibito atque suppresso, primo in colicam incidit et mox abdomen suum in insolentiorem molem attolli, eamque prorsùs, æqualem cum dolorosa tensione et virium aliquali prostratione, vidit. Quid fit? intra quatuordecim tantum dierum decursum in ingentem magnitudinem exsurgit abdomen; et cùm vel nulla, vel certè insufficientia intereà vocarentur remedia, malum subinde increscit; quo factum ut præcipite medendi occasione neglecta seriusque parata medicum post hæc frustrà omnia adhibentur medicamina.

Post obitum factâ, edacto in abdomine cutello, levi saltem incisione, illicet magno fœtidissimum flamen ipsissimumm atque olentem; ventris crepitum æmulas prorupuit, quo confestim abdomen totum concedit : interna autem viscera inflicto extispicio sic satis integra omnia deprehensa sunt, præterquam quod ventriculus una cum omnibus omninò intestinis utriculi ad instar distensus fuerit. (*Ephem. Nat. Cur.*, *an* 3, *dec.* 3.)

Observ. 4ª. Quidam vestiarius, quinquaginta et quatuor annis natus, nisi flatus aliquoties redderet, sanitatem optimam semper duxerat. Anno 1807, mense Februarii, cùm ad naviculam onus sat parvi punderis ferre festinaret, dolorem incognitam in abdomine ejus persentit, cum cujusdam crepitationis sensu. Tum lumbarum et circa umbilicum dolores; tum abdominis tumefactionis initium; stricta fuit alvus; postque pastum brevi sese manifestârunt vomitus.

Viginti Augusti die, eodem decurrente anno, ad nosocomium venit, ut ipsi administrarentur auxilia ad morbum ejus necessaria. Jamjam omnes corporis ejus à marasmo correptæ erant partes : ad enormem tumefactionem perveneral abdomen, et ut tympanum sonaret; præcipuè circa epigastrium sese attollebat tumor, et quo situ mutaret æger, nunquam ipsi loco moveret; harum partium sicca cutis aridaque erat; lumborum et umbilici quasi disparuerant dolores; levissima erat tumor, quanquàm maxima fuisset; vomitus frequentiores fiebant, multò magis stricta erat alvus, et per inferiora superioraque quosdam emittebat flatus. Tunc abdomen frigidâ aquâ, glaciei defectu, professor Bourdier cui, in me, pro benevolentiâ laudes animi grati debeo referoque, involvere jussit; enemata cum camomillæ infusione theriaca ethereo sulfurico, seu simul, seu albernâ vice cum potu carminativo et tonico, ægro præscripsit. De die in dies ingravescerunt symptomata, nisi dolores quæ quasi omninò disparuerant. Die 18°. Septembri enema purgans multis exitum præbuit stercoribus, et flatus sine levamine reddidit; postero die tussitavit ac sanguinem expuit æger;

respiratio læsa fuit; pulsus fit parvus; atque Augusti die vigesimo sine doloribus vitam derelinquit ille vestiarius.

Abdomine aperto, mox multi exierunt flatus; omnia viscera sana erant, nisi intestina et ventriculus, qui à flatibus et stercoreis disten a erant; à fœcibus macerata quasi erat tubi intestinalis membrana mucosa : nihil præter naturam, aliundè visum est.

Observ. 5ª. Amstellodami 1676, mulierem observavi, quæ se gravidam putavit, et ventrem habebat multum distensum; sed ob varia graviora symptomata medicum Amstellodamiensum doctissimum Voggdium adveneri jussit, qui præstantissima adhibuit remedia symptomatibus opposita; verùm his non obstantibus, post paucos dies mulier subitò interibat. Autopsia celeberrimum coram Rhuischium facta tumidum ac in gravida partui vicina abdomen invenit pressumque renittabatur. Aperto abdomine, simul ac exiguum vulnus peritoneum perforaverat magno cum sibilo, aut strepitu ac fœtore aliquali aer prorumpebat, ac abdomen subitò concidebat, ac si mulier non esset gravida. In utero fœtus aderat; omnia de cætero sana erant. (*Eph. Nat. Cur. Tom.* 3.)

Observ. 6ª. Tympanitici cujusdam cadavere aperto, non aquam vidimus; sed, flatu maximo elapso, præstò detumuit abdomen. (*Combalusier.*)

Observ. 7ª. Paupercula, duobus annis tribusque mensibus se gestare credidit : sed in fine abdomen adeò tumefactum erat, ut muliercula illa timuit rupturam abdominis sui. Tunc à cerevisario in terram projecta è mole et falso suo conceptu ex improviso liberaretur : cùm enim ex lapsu posterioribus suis nimium conquateret terram, ex utero illius flatus quidam, bombardæ minoris ad instar, sonitum edens, erupit; secutisque flatibus aliis, venter paulatim detumuit et fermè formam recuperavit. (*Ephem. Nat. Cur., dec.* 3; *an.* 7.)

Quanquàm hæ omnes suffecissent observationes ut de tympanitidis

sede multifario nullum remaneret dubium, alias attamen morborum flatuosorum observationes singulares referam, quæ in disgressionis modo, de horum sede generatim loqui occasionem mihi præbebunt.

Observ. 8ª. Observavimus, inquit Chaldera, totam seminis substantiam in flatus conversam. Solent isti ad coitum valdè esse potentes, sed quo tempore erat semen cum delectatione amittendum, mittunt crepitus et flatus non absque delectatione. Hoc se pati à quâdam muliere audivi, et virum novi qui hoc idem patiebatur. (*Eph. tom.* 2.)

Observ. 9ª. Vir quidam post longam dissenteriam in tympanitidem incidit et cum molestia per urethrum flatus cum mucositatibus reddidit; ipsum ad sanitatem restituerunt aquæ thermales. (*Ephem.*)

Observ. 10ª. Mulier quædam, quæ jam à longo tempore tussitabat et spiritum ægrè trahebat, cum sensu pulmonum ejus in thoracis superiore cavitatis parte natationis et levitatis multas post miserias et accidentia, animam efflavit. Post obitum sectio cadaveris facta, pulmonem per totum diffusus reperiebatur aër, et membrana cellulosa hinc indè in vesicas viri pugnam æquantes magnitudine ob aere summo elastico elevabatur : hinc indè tales bulæ minores detectæ sunt. Pulmo in frustrà dissectus et in terram projectus, magna vi et elasticitate resiluit. Ut nulla alia vitia in pulmone reperta sunt, concludere potest dari phthisim aeream. (*Stork. an med.* 1.)

Tales bulas in quorumdam rabidorum pulmones invenisse, nobis retulit nuper professor Le Roux, cujus erga me benevolentiæ meâ in mente semper erit memoria.

Observ. 11ª. Anno 1677, accersitus ad hujus civitatis incolam qui per quinque dies cum passione colica conflictatus erat, ipsius abdomen mirum in modum distensum deprehendi, quibuslibet medi-

camentis frustrà adhibitis incassum diù sudavi, incertusque fui quid fieret, quòd probatissimis pharmaciæ hunc malum non cederat. Cùm autem inesset clysterem diligenter persisterem, ægrotus post aliquot dies horum auxilio excrevit massam ex multis vesiculis contextam, quarum majores juglandium, minores avellanarum magnitudinem non excedebant : hæ vesiculæ tam tenaciter sibi adhærebant, ut nulla opera divelli possent, quin potiùs disrumperentur, mephitimque flatulentiam cùm fœtore adstantibus valdè molesto emitterent. Hunc spectaculum quamvis sordidum non sine animi voluptate diù intuitus sum, etc. (*Eph. Nat. Cur. tom.* 8.) In eodem volumine pariter mulieris cujusdam quæ asthematica jam à longo tempore erat, et quæ bullas aere fœtido plenas ore rejiciebat, invenitur observatio. Multùm ad ipsas rejiciendas laborabat, et post labores multos ipsas reddebat.

Observ. 11a. Multas alias referre possem observationes non minùs singulares, scilicet, abscessus flatuosi aeris in omenti cavitate inclusi, aut in brachiarum venis ambulantis ; aut alia singularia exempla dare mihi facile esset, sed de his sat superque dictum ; cur ad sedem transeo.

I V.

Tympanitidis Sedes.

Autores ultimi sæculi de hujus morbi sede variam darunt sententiam ; Littrius autem, cum quibus aliis, intestina solummodò flatuosorum morborum tympanitidis peculiare theatrum esse voluit. Contrà, aeris in peritoneo, rarissimè verò, existentiam, multis cum aliis admittit Wan Swieten, hanc quoque tympanitidis speciem admittit, et istius morbi exempla refert Combalusier : nos quoque, in observationibus quas retulimus, plura adsunt exempla. Ergò concludere possumus tympanitidem extrà intestina existere posse.

Nobis enim de flatuosorum morborum sede ac singularitate pauca

dicere liceat. Quod de flatibus dixerunt quidam veteres fabulæ primo intuitu videntur : reverà, si Fieni opera atque Dodonei legamus, multa tam à rerum naturalium distantiora invenimus, ut ipsa vix credere possimus : nam quid censendum de aeris in cerebro collectionibus et de hujus morbi descriptione à primo autore datâ? Quid in hepate aut liene talibus de collectionibus credere? Attamen, si observatores attentissimè perlegimus, aeris collectionum exempla sat mirabilia, ut aliqua jam retulimus, inveniemus : de apoplexiâ flatulentâ disserit Cullen; et interpres eruditissimus Bosquillon, in commentariis dixit. *On appelle apoplexie flatulente, la mort subite produite par l'air, qui distend les ventricules du cœur ou les artères du cerveau.* Morgagnus, quem certè ab omne præjudicatione expers erat, plures hujusce naturæ casus refert. In Ephem. Natur. Cur. observatio abscessus aeriformis in vertebrarum parte inferiore scripta est. Multa in venis aeris inclusi dantur exempla (vide Zacutum Lusitanum, etc.). Scio quidem hæc omnia phænomena explicare omninò arduum esse, sed nonne minus idcircò tamen vera esse possunt, nonne omnia quæ vidimus, in medicina præcipuè, modo omninò satisfaciente, explicare possumus? Num, quia quomodo fiat res explicare incapaces sumus, ejus existentiam denegare debemus?

V.

Antequàm morbi historiam, descriptionem ac therapeiam aggrediar, de diuturnitate aut brevitate paucis dicam, et in acutam atque chronicam dividam : tympanitidis exemplis jam suprà relatis, quasdam longiores ac alias esse constat. Vidimus enim mulierem cujus in secundâ observatione relata est hystoria, 48 inter dierum spatium, trucidatam fuisse, dùm vestiarus observationis quartæ sex menses ni amplius, cum tympanitide vitam duxit. Sat multùm à se discrepant acutæ et chronicæ, ut symptomatibus videbimus; nam in acutâ multò magis fortiora sunt ac in chronicâ, et prima quæ symptomatica sæpius est, brevi ægrum trucidat.

1°. *De Tympanitide acutâ.*

Causæ. Hujusce morbi quasi semper causa est evidens, nam venit post indigestionem maximam, post pluviem in corpore receptam, post frigus magnum quod transpirationis retromissionem subitaneam determinaverit, post flatûs in corpore retentionem. Sed sæpissimè alterum sequitur morbum, et nihil nisi aliud est ac morbi cujuscumque in alium permutatio, ut accidit in quibusdam febribus, aut simplicibus, aut eruptione quâdam complicatis; vel imi ventris, alicujus inflammationis aliaque morbi sequela est: tunc ista tympanitidis species *meteorismus* nuncupatur. Nomina tympanitidis et meteorismi confundendo, aliqui autores duos hosce morbos unum ac eumdem esse credidisse mihi videntur. Morgagnus V. G. mulieris observationem refert, quæ febri acutæ procul dubio succubuit; et cùm facta fuit cadaveris sectio, multum de abdomine exiit aer, undè tympanitidem hunc vocat morbum: attamen abdominis ab aere inflationem præcesserant febris symptomata, et certè hujus febris sequela erat illa tympanitis. Multaque alia exempla similia referre possem, sed symptomatum utriusque tympanitidis speciei analogia sufficere debet ad horum morborum similitudinem probandam.

Invasio, decursus acutæ tympanitidis. Post actionem causarum supra scriptarum aut aliarum, dolores plus minusve fortiores in abdomine patiuntur ægri; tumet abdomen; sunt borborigmi frequentissimi, et nullos reddere flatus possunt, ciborum appetitum amittunt, deficit eis somnus, inquieti sunt, ac in facie impressa est illa inquietudo; semper aut quasi calentes et sitientes sunt, parvus frequensque est pulsus, nullæ sunt dejectiones, et canalem urent urinæ; nunquam aut saltem rarissimè, istis hoc laborantibus morbo, iit sudor. Paucis diebus, 15°. aut 20°., plus minusve, post longum tempus ad extrema perveniunt symptomata, et doloribus cum maximis moriuntur miseri et in intestinis incisis aer invenitur. Ista autem quæ

stimptomatica est, in fine morbi cujus sequela est sese manifestat, et inter quatuor, quinque aut sex dies, trucidat ægrotantem.

Prognosticus. Observationibus constat multis, eos qui de hoc morbo laborasse, quasi semper ad mortem damnatos fuisse; ergo semper infaustum esse debet prognosticum. Meteorismus propriè dictus quasi omnibus in casibus mortem denunciat.

Therapeia. Si alius morbi sequela est ista tympanitidis species, ritè, primarius pertractandus erit morbus. Quandò meteorismus præcipuum erit, pugnandum symptoma; clysmata emollientia, lenientia, oleaginosa, quandoque leviter tonica, danda erunt; potus demulcentes primariique morbi ingenio accommodati cum medicamentis paulisper aromaticis præscripti erunt. Sed præcipuè fomentationes calidæ atque dulces à medico adhibendæ.

Sed quandò idiopaticus est morbus, ab initio ejus clysmatibus emollientibus, quandoque tonicis, recurrendum erit; potus carminativi, sat leviores, prudente manu dabuntur; frictiones cum oleo et corporibus laneis in abdomine adhibentur; frictionesque generales multùm inservient. Si intolerabiles fiunt dolores, cum ethere parcâ manu dato dabuntur potiones quibus addi poterit opii minima quantitas. At sæpè sæpius artis in hoc morbo inutilia sunt remedia, et nobis invitis pereunt miseri. Si in morbi invasione plethoræ sanguineæ aderant symptomata, missio sanguinis instituenda erit; aut si solita fuerat suppressa evacuatio, ipsa restituenda, aut sanguisugarum aut vesicantium ope. Fortè in pluribus circumstantiis multùm inservirent vesicantia sive vires restituendo, sive revulsionem faciendo, et fortè usque ad hunc diem non sat tentatus fuit eorum usus.

2°. *De Chronicâ Tympanitide.*

Morbus iste quanquàm multis in circumstantiis consecutivus sit, tamen acutâ essentialis frequentior est. Multa habet cum istâ primâ specie communia in causis et symptomatibus, sed tamen

inter ipsas sat magnum est discrimen, ut historiæ morbi expositione sat evidenter patebit.

Causæ prædisponentes sunt: temperamentum frigidum atque humidum, lymphaticum scilicet, alterumque quod primo oppositum omninò est, temperamentum nervosum V. G. Sexus sequior quàm nobilior magis obnoxius est; senectus atque infantia huic quoque disponunt; in locis paludosis humidisve habitatio; frigidi atque humidi in corpore actio mala; improborum ciborum aut potuum præcipuè è regno vegetabili excerptorum usus nimius; liquoris recentioris ac nondum sat fermentatione coctæ copiosior potus; ingluviei ebrietatisque consuetudo, vita otiosa aut sedentaria, capitis aut omnis corporis nimii labores; mœstitia, cæteraque multa ad tympanitidem prædisponunt.

Causæ efficientes sunt: aqua gelida in corpore recepta; pedum aut manuum frigus dum omnes caleant partes, unde transpirationis suppressio fortiterque retropulsio; ingluvies nimia, unde fiunt indigestiones; ira, cæteræque multi animi affectiones; attamen nobis fatendum est hanc causam sæpè à medicis ignotam fuisse, cùm sæpè tympanitici sunt qui à quo tempore intumuit eorum abdomen, ignorant. Ut solummodò de essentiali tympanitide verba facio, omnes morbos seu organicos seu alios qui tympanitidem inducere valent, taceo.

Invasio morbique decursus. Multa tormina experiri incipiunt ægri; flatus plurimos sursùm et deorsùm emittunt, colici dolores experiuntur, borborigmi non pauci sunt; quandoque ab adstantibus audiuntur; intumescit abdomen; in lumbis præcipuè et circa umbilicum plus minusve fortes patiuntur dolores; primis diebus, gradatìm ipsi dolores, ac tempore plus aut minus remoto, vehementiores fiunt; raræ sunt dejectiones, pedetentim increscit abdomen, præcipuè circa epigrastrium quod semper tumefactum est amplius, et quamdam in hac regione quasi apicem efformat; levior autem est relativè ad volumen ejus, ille tumor: sive in dextero, sive in sinistro sese decumbat æger, non in latere decliviore, ut in ascite ac-

cidit, fert iste tumor; ut tympanum percussione resonat abdomen, strictior fit alvus. Cùm tumefactionis ad summum perventum est abdomen, læditur respiratio, parva et thoracica tunc est; pulsus parvus atque frequens devenit, lombarum umbilicique dolores minuuntur, aut omninò cessant dolores; quandoque tamen crudeliores fiunt, quod rarissimè verò; emacessit se omne corpus; calor multùm augetur, aut, quandoque minuitur, fiunt vomitus qui in initio morbi incipiunt, aut longe post invasionem sese manifestant : plus tensum est serò quàm manè abdomen; cutis sicca atque arida est; pertinacior fit constipatio; flatus pauci rejiciuntur absque levamine; et si fortè detumuerat, ad pristinam molem rediit abdomen quod de die in dies increscit; in ultimis morbi diebus pro abdominis volumine maximo difficilis fit motus atque respiratio, pulsus parvulus et frequens devenit; tussis et sanguinis sputatio symptomatibus pristinis junguntur, vomitus quasi continui sunt; facies Hyppocratica videtur, et sine maximis doloribus intereunt miseri.

Attamen aliquando advenire potest ut naturæ virium, aut artis auxiliorum ope, flatus sensim minuantur et ægrum ad sanitatem restituatur; evacuatio critica ac subita potest se monstrare, aut eumdem producere possunt effectum remedia quædam idonea; tunc aut lentè, aut quasi quodam miraculo, subitò ad suos restituitur æger.

Quoad prognosticum fatere tamen debemus ambiguum multum esse tympanitidis eventum, sed non semper funestum, ut crediderunt aliqui; nam plura in autoribus tympaniticorum ad sanitatem redditorum exempla inveni; cognoscitur verò, hunc fatum desideratum sperare quando non nimis stricta est alvus ac dolores paucissimi sunt et decrescunt; quando flatus, sursùm deorsùmque, iter sibi faciliter parant; quando sensim detumuit abdomen, et quando denique omnia leviora fiunt symptomata; sed dum convalescit æger, multùm timenda est recidiva; nam minima legum hygienis infractio, ut crudelior redeat morbus sufficit. Nunc ad Therapeiam transeundum.

Indicationes et therapeia generalis. Quando sese efformare incipit aer aut potius fluidus aeriformis, primâ indicatio quæ sese offert medico est ulteriorem efformationem aut accumulationem impediendi, si fieri potest. Ut ad ipsam satisfaciat indicationem, omnia quæ flatus producere valent, prohibere debet medicus, id est regimen aptum præscribere. Subitas aeris temperiei vicissitudines scrupulosè vitabit æger; sese optimè vestire semper erit necessarium; evacuationes solitæ accidentalesve cum maximâ attentione servandæ erunt; stercorarum et flatuositatum evacuationes sæpè sollicitabit clismatum aut alii medii ope; excretiones naturales non prohibendæ erunt; alimenta pauca erunt, sed è regno animali excerpta, aut saltem optimè cocta atque fermentata si è vegetabili eliguntur; maximo cum studio vitabuntur illa alimenta flatuosa dicta ut pisi, fabæ, cæteraque multa non melius idonea; si fructus paulisper permittit medicus, eos solummodò qui optimè ad maturitatem perventi sunt, indicet, et omnes qui acriores immaturosque sunt, proscribit; exercitium moderatum sapienterque factum utilitate maximâ erit, moderanda erunt animi pathemata. Dum hæc adhibentur, non paulisper inserviunt siccæ aut oleaginosæ frictiones in abdomine institutæ; clismata atque infusiones aromaticæ non minimè convenient cum carminativis levibus. Hoc regimen in convalescentibus pariter ac in præsente flatuosis omninò conveniet; cur ad ipsum non amplius redeam, sed ad secundam transeam indicationem, causæ morbi materialis eductionem scilicet.

2ª. *Indicatio.* Nemo nescit certè fluidum aeriformem in abdomine contentum, omnium esse accidentium causam, eumque hac pro ratione educendum est. Ad hunc scopum, ut in omnibus morbis sanatione difficilioribus multa adhibita fuerunt medicamina quæ plus aut minus efficaciora sunt, aut laudata. Hæc inter, carminativa medicamina dicta maximâ famâ gaudent, et cum successu sæpè adhibentur. Aliqui virtutem specificam ipsis attribuerunt medici et cum quodam furore fanatico laudâ-

runt. De his loquendo, dicit Combalusier : *Hæ medicamina, minuendi virtutem, morborum flatuosorum impetuositatem habent, vapore quodam ipsas flatuositates involvendo aut calorem tollendo.* Et aliundè : *ultimæ classis medicamina* (carminativa) *partim salinis, terrestris, austeris atque rigidis moleculis, partim dulcibus, volatilibus composita sunt, felicissimèque simul juncta et hac de ratione optima sunt:* Quid de hoc loquendi modo censere debemus? nonne omninò rejiciendus est! *antiflatuositatem,* attamen ipsis facultatem denegare, non mihi animus est ; sed solummodò cum materiæ medicæ autoribus recentibus, credo ipsos ut tonici stimulantesque agere. Cæterùm, quidquid de eorum actionis modo sit, non tamen verum est sæpè sæpiusque ipsa multùm inservire, et in tympanitide optimus esse posse eorum usus.

Quando igitur progressus facit tympanitis nimios, ægris substantiarum carminativarum infusiones et potiones administrandæ sunt : tales sunt anisi, funiculi, badianæ seminum, camomillæ florum, aliarumque benè multarum, infusiones: ejusdem naturæ clismata cum successu adhibenda erunt. Quando nimia est obstipatio, purgantia paulisper reddentur enemata et infusiones. Si multùm in atoniâ languet æger, tonica non parcenda erunt, et præcitatis addentur theriaca et alteræ confectiones corroborantes, aliæque eâdem virtute fruentes substantiæ. Dum hæ intus administrantur, in abdomine frictiones sive siccæ, sive oleaginosæ, aut saltem blandæ, cum successu in auxilium veniunt; applicationes frigidæ coercere fortè aeris rarefactionem poterunt quod tamen tentaminibus jam factis in incertitudine adhuc maneat. Nescio an applicata fuerunt in hoc morbo vesicatoria ; sed credo hunc medium esse omninò tentandum, et de illo fortè multùm sperare liceret; sive ut derivans, ut excitans, aut alio quodam modo ageret. Sunt adhuc quædam exempla quibus inservire visa est missio sanguinis ; attamen nisi plethoræ maximæ multa dentur symptomata, ipsa non est instituenda, quia vires minuit, et in hoc

morbo jam paucissimæ sunt. Antispasmodici multis in casibus magis inserviunt, et sæpè in nervosis optimus est eorum usus. Quandoque atroces sunt dolores, ipsos aliquoties sedant. Si minuant symptomata et ad sanitatem redire videatur æger, hæc medicamina longè pergenda, et optimo atque tonico regimine convalescentiam sustinendam. Sed multoties nobis fatendum nullo modo inservire omnia medicamina, et ultimam sortem pati ægros.

VI.

In alio thesis nostræ capitulo tympanitidis variam posse sedem esse monstravimus; nunc nobis offerendum est quas afferant differentias illæ sedis varietates.

Aut in intestinis, aut in peritoneo aut in utroque simul, aut in utero, elegisse sedem potuit tympanitis. Primò in casu, multi adsunt flatus atque borborigmi, et aliquoties per os anumve redduntur crepitus; tumet abdomen, sed non æqualiter, ut in tympanitide peritoneale, sed per abdominis musculos, intestinorum forma adparetur; colicorum dolores vehementiores sunt, verò illæ quæ lumbas afficere solent, minores constipatio ac in aliis fortior est. Prognosticus hujusce morbi quanquam ominosus, non tam tamen est periculosior, ac in peritoneali tympanitide. Omnia quæ de therapeiâ diximus, huic speciei particulariter conveniunt.

2°. Abdominis uniformis tensio, eructationum ac crepituum absentia aut saltem paucitas, borborigmorum defectus, dolores lombarum intensiores et colicarum minores, alvus minùs constricta, symptomata sunt quibus disjudicare tympanitidem peritonealem adesse possumus, fatendo tamen sæpè sæpiùs ab ipsis nos fefelli. Quoad prognosticum, quasi semper infaustior est, et ferè nunquam de ægri salute sperandum.

Omnia quæ in tympanitidis generaliter titulo de therapeïa diximus, possunt quoque ad hanc speciem applicari; et quanquàm

pauca de ipsis speranda, ea tamen adhibere nihilominùs oportet. Hìc de quodam medio à quibusdam laudato dicendi locus. Hoc medium est punctio abdominis à Boerhavio commendata. Littrius qui in intestinis sedem tympanitidis semper fuisse volebat, hanc reprobavit operationem: alii qui peritoneali tympanitidi crediderunt, ipsam pariter recusarunt, quia duorum habebant tympaniticorum exempla, qui brevi post operationem, ni subitò, perierunt. Fateor quidem omninò ominosum esse hunc medium, et nisi in desperatis adhibendum. Post aeris exitum, omnes subitò collabunt, partes, et hujus collapsus mors sequela est. Casus ferè persimilis in Ephem. Natur. Cur. legitur. Vir quidam ob honoratiorum præsentiam crepitum in abdomine retinuit, sed subitò doloribus coactus, in aliquâ domo auxilium quæsivit; vix intraverat, ut crepitum cum horrendo sonitu per aliquas minutas sese prolongante cum animâ reddidit. Hæc omnia circumspectum omninò facere debent medicum.

3°. Quoad mixtam tympanitidem id est ea quæ sedem in intestinis ac in peritoneo simul habet, non facile est eam agnoscere, et quæ dignoscere illam faciunt referre symptomata non aggrediar, quia clara ea non video.

4°. Nobis nunc restat uterinam perlustrandam tympanitidem. In istâ tympanitidis specie dolores mitiores semper sunt ac in præcedentibus, et sæpè se gestare credunt mulieres, in quibus sæpiùs ac in virginibus frequentior est ille morbus: aliquoties fœtus in utero mortuus sequela est, ut observationibus constat. De quâcumque suam trahat originem causa uterina tympanitis; sensim in molem increscit abdomen, parte inferiore incipiente, deindè cum lapsu temporis necessario, ad enormem pervenit molem, cum aut sine doloribus et organorum functionibus illæsis. Terminatur sæpè sat feliciter eruptione flatuum à vaginâ; sed aliquando fit ut dolores intolerabiles fiunt, et longas post miserias mortem patiuntur ægræ. Ex his omnibus concludi potest hanc tympanitidis

speciem non tam quàm aliæ ominosam esse. Therapeia suprà indicata ipsa quoque omnino convenit, et credo morbum optimè agnosci potest, cum successu per os uteri punctionem utillimam esse posse.

Hic laborem absolvo, et magistrorum, professorumque meorum in benevolentiâ atque indulgentiâ fideo.

HYPPOCRATIS APHORISMI,

Edente Hollerio.

I.

Supra umbilicum dolores et lumborum dolor, qui medicamentis non solvuntur, in hydropem siccum desinunt. *Sect. 2, lib. 3, Aphor. XXV.*

I I.

Ubi edentur signa hydropis sicci, tormina circa intestinum tenue incidentia, malum. *Sect. 2, lib. 6, Aphor. XXXIII.*

I I I.

Quibus verò ructus, flatus strepitus ventris, extuberat venter atque perturbatur. *Lib. 4, Aphor. XXXII.*

I V.

Flatus sine edito sono crepitus excludi oportet. Melius autem cum sono exire quàm circumvolvi. Ac qui sic excernitur, vexationem ægri significat et delirium nisi sponte hoc efficiat emittatque flatum. *Lib. 7, Aphor. XXV.*

V.

In febribus flatulentus venter malo est, si quidem inclusus flatus non excidit. *Lib. 2, Aphor. VI.*